



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Avtvmnalis - A Dominica Decimaquinta post Pentecosten, ad
Adventum

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Repetenda est Consideratio ex 1. parte, pro numero Dominicarum quæ
supersunt ex celebrandis post Epiphaniam; consulendumque Directorium.
Hac hebdomada, concurrunt quæ sequuntur in Evangelica serie, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-44846

vatura mentis quàm corporis: Quæ de re vide in 2. parte, Fer. 6. Hebd. 1. post octavam Paschæ. Et supra in hac Hebdomada, Feria tertia, ubi de cura interioris hominis supra exteriorem, quæ hinc commodè refertur possunt. Et verò maxime quæ de mala dicuntur arbore in 3. p. Dominica 7. ubi hæc Veritas declaratur.

Qua ratione fit, ut plures dici possint malæ quàm bonæ arbores: eadem prorsus fiet, ni caveas, ut mala potius quàm bona sis arbor.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Hic observandus est eadem Annotatio quæ servatur in usu divini officij circa Evangelium proprium Dominicis sequentibus usque ad Adventum.

Non possunt plures restare Dominicæ sive hebdomadæ quàm quinque, sed possunt esse pauciores. Si quinque restent, Evangelium hodiernum est de Leproso mundo & servo Centurionis Sannato. De quo in 1. parte, Dominica 3. post Epiphaniam.

Si pauciores restent, consule Directorium, & statutum serva ordinem.

HAC HEBDOMADA, quædam occurrunt insignes Parabolæ seu celebriora Christi Domini dicta, quibus manifestum relinquit quantis quàmque suavibus ad se libertatem nostram alliciat modis; Et contra quantis se illi nostra libertas opponat vis. Ex uno S. Luca.

FERIA SECUNDA. DE COENA MAGNA.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14.

VERITAS PRACTICA.

Sicut nullis cœna est, nisi vocatis; sic nulli vocantur à Domino, nisi ad cœnam.

Quocumque nos Christus vocet, quasi ad cœnam vocat sive convivium.

RATIO postrema partis quæ sola difficultatem habet, hæc est inter alias: Quod securam mens dicitur quasi iugo convivium.

Sed quocumque nos Christus vocet, sic vocat ad securam illam mentem, ut in eo solum quod vocat, sit illa securam mens.

Ergo & quocumque nos vocet, quasi ad cœnam vocat sive convivium: quos amen ire multi refugiunt quasi iugo tormentum esset eo ire, vel ibi stare.

I. PUNCTUM.

CUM Dominus à quodam Principe Pharisæorum invitatus esset ad prandium, multaque more suo de virtutibus & de futura bonorum operum compensatione disserteret, Quidam de discumbentibus loquentem eum ita miratus est ut palam in has voces eruperit: *Beatus quis manducabit panem in regno tuo.* Tum verò Dominus illustrem illam Parabolam de vocatis ad cœnam magnam, & veni-

re nolentibus proposuit, quæ cum multa significet, pro vario Scripturæ sensu, jam quidem de illa dictum est in 2. parte, prout representat Sanctissimum Sacramentum; nunc autem opportunè ad finem nobis in hac hebdomada propositum rursus exhibetur, ut agnoscamus quàm suaviter nobiscum agat Dominus, cum ad sui cultum & obsequium nos omnes vocat, quemcumque tandem in vitæ statum vel perfectionis gradum nos advocet, vel quidquid in eo difficultatis, & quid quid incommodi appareat, ne timeamur, ne quid prætendamus contra; Sed magno & volenti animo sequamur Deum vocantem, quocumque vocet; nam si rem attentè consideremus, tanta est in uniuscujusque vocationis statu suavitas, ut non aliter exprimi possit quam verbo *Cœna magna* vel exquisiti convivij, quo inter humanas delicias nihil est suavius.

Ratio quæ id tam mirum & novum dictum persuadet, sic ex ipsa sacra Scriptura conficitur: *Securam mens quasi iugo convivij.* Verba sunt Sapientis in libro Proverbiorum, cap. decimo quinto; quæ ut melius intelligantur, audienda sunt quæ p. accedunt: *Omnes, inquit, dies pauperis, securam mens mali.*